

Sight Recitation - Level 2  
Student Preparation Sheet  
10 minutes only allowed

THE CYCLOPS'S CAVE.

Tōtam noctem rēmīs contendērunt, et postridiē ad ignōtam terram  
nāvem appulērunt. Tum, quod nātūram eius regiōnis ignōrābat, ipse  
Ulixēs cum duodecim sociīs in terram ēgressus locum explōrāre cōn-  
stituit. Explōrātōrēs paulum ā litore prōgressi ad spēluncam ingentem  
5 pervēnērunt, quam incolī sēnsērunt; eius enim introitum et nātūrā loci  
et manū mūnitum esse animadvertērunt. Etsi intellegēbant sē nōn  
sine periculō hoc factūrōs, tamen spēluncam intrāvērunt; quod cum  
fēcissent, magnam cōpiam lactis in vāsīs ingentibus conditam invē-  
nērunt. Dum mirantur quis in eā sēde habitāret, sonitum terribilem  
10 audivērunt, et oculis ad ōstium tortis mōnstrum horribile vidērunt,  
hūmānā quidem speciē et figurā, sed ingentī magnitudīne corporis.  
Cum autem animadvertissent mōnstrum ūnum modo oculum habēre  
in mediā fronte positum, intellēxērunt hunc esse ūnum ex Cyclōpibus,  
dē quibus iam audiverant.